

122

120

126

116

131

111

171

071

221

021

Ende

Anfang

107

fuerint. Et hic habet finem evagatio venetiana. Porro illo  
toto die occupati fuimus disponendo nos ad navis ingressum  
pro die crastina. Et cum physico, qui nobis medicinas dedit,  
computavimus, et hospitam nostram dominam Margaretam  
solvimus, et eas res, quibus per mare usus non est, commen-  
davimus cellario domus, Nicolao Frig, Theutonico, et diem  
crastinum fieri praestolati sumus.

Sequuntur quaedam necessaria pro intellectu maritimae  
Evagationis.

Evagari antequam per mare incipiam, aliqua praemittere  
judicavi necessaria, ad solvendum dubia multa, quae fieri  
solent circa maritimam Evagationem. Peregrinatio enim terrae  
sanctae pro majori parte in mari perficitur, et tempus longius  
in maritimo itinere transit. Ideo tria praemittere ei statui;

Primum, de mari multiplici et ejus qualitatibus et periculis.

Secundum, de galèa triremi et ejus dispositionibus.

Tertium, de regimine et politia triremium, et avisamentis.

His tribus intellectis potest quietus stare etiam ille, qui  
nunquam vidit mare.

De triplici mari.

Mare in genere est triplex, scilicet: mare magnum, mare  
majus, et mare maximum. Mare magnum est mare mediter-  
raneum, quod dicitur mare nostrum; mare majus est mare  
ponticum; mare maximum est oceanus, quod ambit mundum.  
De hoc oceano primo videbimus breviter, et postea de aliis.  
**(42 A)** Oceanus vel oceanum mare maximum, quod exterius  
per modum circuli ambit orbem terrarum, eumque amplectitur.  
Et dicitur tam a Graecis, quam a Latinis oceanum, eo quod  
ambit orbem; sive a celaritate sua, quia oceanum ocius id est  
velocius discurrit; sive a coelo derivando nomen a media  
syllaba Ce, quia hoc mare similitudinem habet cum coelo in  
colore, et quomodo coelum coloratum videtur, sic et oceanum.  
Oceanus ille manat ex orbe, et in ipso est radix ejus et prin-  
cipium: finis quoque ejus est apud finem illius. Et est origo